

tunc fundi domino adscribitur. Contrarium autem in Apulia & Sicilia erat receptum, nam legibus Regum Guil. I. & Frid. II. constituebatur, ut thesaurus quocunque loco ac modo inventus fisco cedat, quod à Carolo II. est correctum, Matth. *de Afflict. Const. Neapol. de Offic. secret. Sotus 5. de Just. quest. 3. art. 3.* & Sylvester ejusmodi dicunt, consuetudinem esse contra Jus Gent. quando np. fisco de thesauro invento aliquid adscriberetur, sed Navarrus, Cajetanus, Covarius & alii DD. contrariam fovent sententiam. In Belgio foederato Jus hoc de thesauris incertum esse dicitur, nam Patroni fisci contendunt thesauros quocunque in loco inventos ad fiscum pertinere, alii vero contra putant, sequendum nempe esse in hoc negotio constitutionem Juris Romani, Enoch Glæs. *in Diss. de thes. th. 70.*

Th. 34.

Exiguas igitur hasce paginas B. L. accipe æquo animo ac reconde tibi thesaurum in cœlo, ubi neque ærugo tineaque corrumpit, & ubi nec thesauri fosfores perfodiunt nec fures furantur.

